



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Exploditur Durandi sententia,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

Advertendum est, causam ut sic dividi in causam per accidens, sive conditionem sine qua non, sic dictam, quia sine ea non ponitur quidem effectus, in eum tamen non influit; & in causam per se, sic dictam, quia aliquo modo influit in effectum. Et hæc est duplex, physica scilicet & moralis. Causa physica illa dicitur, quæ suæ virtutis actione immediatè & realiter attingit effectum. Moralis verò, quæ actione suæ virtutis non immediatè nec realiter attingit effectum, sed intentionaliter duntaxat movet efficientem ad effectus productionem, per modum consilii, aut persuasionis, imperii, meriti, aut pretii. Utraque causalitas explicatur exemplo homicidii: qui enim alicui homicidium consulit ut imperat tantum: vel ad hoc pecuniam ei spondet, est causa moralis ipsius; qui verò propria manu alium occidit, aut apprehensa manu alterius, per vim eam applicat ad homicidium, dicitur causa naturalis aut physica homicidii.

Rursus utrumque genus causæ dividitur in principale & instrumentale. Causa principalis physica dicitur illa, quæ virtute suæ propriæ formæ agit, ut ignis producendo calorem, vel alterum ignem. Instrumentalis physica, quæ non virtute propriæ formæ, sed alterius superioris sibi communicata, physice operatur, ut terra, penicillus &c. Similiter causa moralis principalis dicitur illa quæ propria virtute & intentione inducit causam efficientem ad producendum effectum. Instrumentalis verò moralis, quæ non ex propria virtute & intentione, sed ut subordinata voluntati & intentioni alterius, causam efficientem inducit ad dandum esse effectui intentioni. Exemplum utriusque est, si Rex famulo pecuniam det, ut eam mediante tyrannum inducat ad dandam libertatem captivo: Rex enim est causa principalis moralis, famulus verò & pecunia sunt causæ instrumentales morales libertatis capivi.

Quæritur ergo in præsentia, an sacramenta novæ legis sint causæ gratiæ per accidens tantum, seu per modum conditionis, an per se, & per verum influxum? Et si hoc modo, an per influxum solum moralem, an verò per physicum, non quidem principalem, cum solus Deus sit causa principalis gratiæ, sed instrumentalem?

In cuius difficultatis resolutione varix sunt Authorum sententiæ. Prima asserit Sacramenta novæ legis esse causas tantum per accidens gratiæ sanctificantis, seu meras conditiones, ad quarum positionem solus Deus conferat gratiam. Ita Durandus, Ocham, Gabriel, Marsilius, Aliacensis, & alii.

Secunda opinio est Magistri Cano, Martini de Ledesma, & Bartholomæi de Ledesma, Molinæ, Vazquez, Delugo, Beccani, Martinoni, & aliorum Recentiorum, docentium sacramenta novæ legis esse causas instrumentales, non physicas, sed tantum morales gratiæ sanctificantis hominem. Verum non eodem modo hæc opinio à suis Authoribus explicatur. Cano enim intantum vult sacramenta novæ legis dicenda esse causas morales nostræ sanctificationis, inquantum sunt veluti chirographa, sanguinem Christi, ut pretium nostræ redemptionis, moraliter continentia, quatenus videlicet sunt testimonia divinx promissionis de nostra justificatione, fundata in sanguine Christi. Vazquez verò rejiciens hunc modum explicandi causalitatem moralem

in nostris sacramentis, asserit ideo moraliter gratiam ab eis causari, quia ministri in illorum applicatione gratiam à Deo impetrant, non quidem impetratione quæ in eorum merito sit fundata, sed illa quæ promissioni divinx de conferenda gratia est innixa; quæ promissio (inquit) quia sub conditione sacramentorum facta est, non nisi sacramentis positis obligat. Verum cum hic modus causalitatis non transcendat rationem conditionis sine qua non, alii illum rejicientes, aliter etiam explicant causalitatem illam, dicendo quod sacramenta novæ legis intantum in genere causæ instrumentalis efficiunt nostram justificationem, sive Deum ipsum ad eam physice causandam movent, inquantum continent, continentiam quadam morali, valorem meritorum Christi, ipsi ab eo applicatum: cum enim (inquit) fuerit in Christo potestas excellentiæ super omnia sua merita, habuit ratione illius facultatem eligendi res sensibiles quibus hunc valorem applicaret. Unde (subdunt) sicut regale argentum, supposita institutione & autoritate Regis verè continet moraliter valorem trii librarum, ipsumque recipere tenemur in politicis commutationibus, venditionibus, & emptionibus, secundum illam æstimationem trii librarum: ita similiter sacramenta novæ legis, facta simili applicatione meritorum Christi, verè continent moraliter pretium sanguinis Christi, secundum quantitatem illis applicatam ab ipso Christo, adeo ut Deus teneatur acceptare sacramenta nostra, ex Christi voluntate sibi oblata, ad nostram justificationem, secundum valorem & pretium sanguinis Christi ipsis applicatum. Alii alio exemplo id explicant, dicendo quod sacramenta sunt instar bursæ plenæ pecunia, quæ datur alicui, ut sibi necessaria comparet.

Tertia opinio docet sacramenta novæ legis, per modum instrumenti physici efficere in nobis gratiam. Ita, præter Thomistas, docent Ruardus Taper, Andreas Vega, Sayrus, & alii, & celebriores ex Societate Theologi, nimirum, Suarez, Valentia, Bellarminus, Henriquez, Reginaldus, Granado, Meratius, Ripalda, Escobar, Albertinus, Costerus, Canisius, Fonseca, & integrum Collegium Conimbricense, imò & major pars totius Scholæ Theologorum, ut testatur Ruvius 2. physic. Tract. 4. quæst. 3. nu. 33, ubi sic ait: De humanitate Christi, & sacramentis, concedit major pars totius Scholæ, cum S. Thomas, esse instrumenta gratiæ, & verbum ipsius Christi vel etiam contrarium, habuisse modum physici instrumenti, ad miracula paranda. Et Henriquez 2. lib. 1. cap. 16. num. 4. dicit quod nobiliores Theologi bene id colligunt ex sacris literis. Denique P. Hyacinthus Choquetius lib. 2. de gratia disp. 6. capite 1. refert & citat quinquaginta tres egregios hujus sententiæ patrones.

§. II.

Exploditur Durandi sententia.

Deo primò. Sacramenta novæ legis non sunt meræ conditiones, ad quarum præsentiam Deus conferat gratiam. Ita S. Thomas in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. ubi loquens de sacramentis novæ legis, sic dilcurrit. Quidam dicunt quod non sunt causæ quasi facientes aliquid in anima, sed causæ sine quibus non: quia increata virtus quæ

sola effectus ad gratiam pertinentes in anima facit, sacramentis assistit per quandam Dei ordinationem, & quasi participationem: sic enim ordinavit, & quasi pepigit Deus, ut qui sacramenta accipiunt, simul ab eo gratiam recipiant; non quasi sacramenta aliquid faciant ad hoc. Et est simile de illo qui accipit denarium plumbeum, facta tali ordinatione, ut qui habuerit unum de illis denariis, habeat centum libras à Rege; qui quidem denarius non dat illas centum libras, sed solus Rex accipienti ipsum. Et quia passio talis non erat facta in sacramentis veteris legis, ut accedenti ad ipsa gratiam acciperent, ideo dicuntur gratiam non conferre, sed promittebant tantum. Sed hoc non videtur sufficere ad salvandum dicta Sanctorum, causa enim sine qua non, si nihil omnino faciat ad inducendum effectum, vel disponendo, vel meliorando, quantum ad rationem causandi, nihil habebit supra causas per accidens, sicut album est causa domus, si edificator sit albus; & secundum hoc sacramenta essent causa per accidens tantum respectu sanctificationis: illa enim ordinatio quam dicunt, sive passio, nihil dat eis de ratione causae, sed solum de ratione signi; sicut & denarius plumbeus est solum signum indicans quid debet accipere: quod autem est per accidens, omittitur ab arte, nec ponitur in definitione, unde in definitione sacramentorum non poneretur causalitas praedicta, nec Sancti multum curassent de ea dicere, nec iterum sacramenta nova legi, quae differunt à sacramentis veteris legis secundum ordinationem praedictam, differre ab eis secundum rationem causae, sed solum quantum ad modum significandi; in quantum haec significant gratiam ut statim dandam, illa verò non. Hec S. Doctor: quibus verbis conclusionem nostram & docuit, & probavit. Si enim sacramenta novae legis essent tantum merae conditiones ad quarum praesentiam Deus conferret gratiam, non possent dici eam causare: Sed hoc erroneum est, & Scripturae, Concilii, & Sanctis Patribus repugnans, ut articulo praecedenti contra huius temporis haereticos ostensum est: Ergo & illud, Sequela Majoris patet, nam conditio sine qua non, non influit in effectum, sed tantum desideratur ut causa influat, ut patet in approximatione ignis ad lignum, quae non influit in ealorem.

35 Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Concilium Florentinum supra citatum, ita asserit nostra sacramenta cavere gratiam, ut hoc dei neget antiquis: At si nostra non alio modo causarent gratiam, quam per modum conditionis, nulla esset haec differentia, qua sacramenta veteris legis, erant etiam saltem conditiones, ad quarum praesentiam Deus conferebat gratiam: Ergo sacramenta novae legis non sunt merae conditiones, ad quarum praesentiam Deus conferebat gratiam.

36 Obijcies primò cum Durando: D. Bernardus in sermone de cena Domini sic loquitur: Sicut Canonicus investitur per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul, sic diversae gratiae diversis sunt tradita sacramentis. Atqui liber, baculus, & annulus, non sunt causae illorum effectuum, ipsos producentes, sed tantum signa & conditiones: Ergo & sacramenta nostra, respectu collationis gratiae.

37 Respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 1. quaest. 1. art. 4. quaest. 1. ad 1. D. Bernardum loco citato comparasse sacramenta baculo, annulo, & libro, non quoad causalitatem divinae gratiae, sed praecise quoad ejus significationem; idque

A colligit ex verbis quae habet antea, quibus docet sacramenta operari gratiam, cum tamen non possit tribui libro, baculo, & annulo, quod operentur illos effectus quos significant.

Obijcies secundò: Sicut se habet lex nova ad legem veterem, sic sacramenta novae legis, ad sacramenta veteris legis: Sed lex veteris (inquirit Durandus) sic se habet ad novam legem, in quantum quod promittebatur in veteri lege, solvitur in nova, non per legem, sed à Deo in lege; Ergo similiter gratia exhibetur in sacramentis novae legis, non per ipsa, sed à Deo in ipsis; & in hoc (subdit idem Author) sufficenter excedunt sacramenta novae legis, sacramenta legis antiquae.

B Respondeo negando Minorem, cum enim lex nova perfectior sit lege veteri, & quod est perfectum, aliquo modo causare debeat, Deum non tantum implet in lege nova quae in veteri promiserat, sed etiam legi novae virtutem tribuit, per quam veteris legis promissa impletur.

§. III.

Rejicitur secunda sententia, & sacramenta nova legi instrumentaliter physice concurrere ad causandam gratiam: ex Scriptura, Concilio, & SS. Patribus ostenditur.

C Dico secundò: Sacramenta nova legi instrumentaliter physice ad causandam gratiam concurrunt.

Probatur primò conclusio ex verbis illis Christi Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; ut enim ait S. Thomas 1. 2. quaest. 112. art. 1. ad 2. illis significatur, per sacramenta novae legis causari gratiam instrumentaliter, & per virtutem Spiritus Sancti principaliter: Ergo sicut Spiritus Sanctus principaliter physice causat gratiam, ita & sacramenta legis instrumentaliter physice: instrumentum enim causae physicae principalis, etiam physicum esse debet, & physice causare.

Confirmatur ex variis loquendi modis, quibus Scriptura utitur ad causalitatem nostrorum sacramentorum significandam: nam Joan. 3. dicuntur homines renasci ex aqua, ad Thom. 3. salvari per lavacrum regenerationis, ad Eph. 5. mundari lavacro: Sed hi modi loquendi physice causalitatem indicant: Ergo &c. Minor probatur, nam particula Ex communiter indicat causam physicam, vel materialem, praeter quod dicitur annulus fieri ex auro; vel efficiens & instrumentalem, sicut dum animal dicitur gigni ex semine: constat autem homines renasci spiritualiter ex aqua baptismali, non tanquam ex causa materiali: Ergo ut ex instrumentaliter physica, & tanquam ex spiritualiter efficiente. Idem indicant particula Per, & ablativus casus, cum enim in communi modo loquendi causam physicam instrumentalem scriptura volumus indicare, dicere solemus quod hoc scriptum est calamo, vel per calamum: Ergo similiter cum dicimus mundari lavacro, aut per lavacrum, convenientius id intelligitur ut per instrumentum physicum, quam ut per instrumentum solum morale.

Scio Adversarios respondere, haec omnia re-